Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26502
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et labore et impensa sui sanguinis. et sue mor-
tis. non uere et proprie sed methaphorice narraret
et commendaret in scriptura. cum tali morbo ta-
lia. et non alia remedia deberentur. Quo falso
falsius et dampnabilius nichil dici potest. cum sic dicat apostolus
.i. Cor. xv°. Christus mortuus sit pro peccatis nostris
secundum scripturas et sepultus sit et resurrexit secundum scrip-
turas etc. Que videlicet scripture in ueteri testamento
dixerunt eum uere moriturum et resurrecturum et
in nouo dixerunt eum uere mortuum fuisse et re-
surrexisse. Unde notandum est prosequens hominem per
peccatum originale lapsum et destitutum uere uen-
ditum esse. et captiuitatem. et infirmitatem et mo-
riendi necessitatem incurrisse. et eciam beatitudine
priuatum fuisse. quem Christus ueris suis passionibus
et doloribus et uera morte sua et [illegible] a predictis
malis omnibus redimendo restituit iuxta illud. Ys.
liii°. Vere languores nostros ipse tulit et pecca-
ta nostra ipse portauit etc. Ad intelligenciam autem huius
ueritatis queruntur ista vi per ordinem. Primo
utrum primus homo per peccatum venundatus sit.
Secundo utrum per peccatum in potestatem dyaboli potuerit
transire. Tercio utrum per peccatum infirmitatem
et mortalitatem incurrerit. Quarto utrum primus
homo sua personali culpa inficere potuit naturam.
Quinto utrum illa culpa meruit penam dampnacionis
tocius humani generis. VI°. utrum primus homo per solam
graciam et pietatem absque satisfactione potuit delere
illam culpam et reparare naturam. Utrum homo per
peccatum prime transgressionis venditus fuerit.